

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONIBUS MEDICORUM, CHIRURGORUM,
ET PHARMACOPOLARUM

981. — Tenentur ante omnia sub gravi 1^o habere scientiam et peritiam sufficientem; 2^o adhibere diligentiam proportionatam gravitati rei, quae ipsorum curae committitur. Si autem in his deficient, tenentur de omnibus damnis, quae inde sequuntur.

Insuper operam suam gratuito praestare debent pauperibus, qui in necessitate versantur (1), ut supra n. 11, de advocatis dictum est.

In curandis autem infirmis sequentes regulas servare debent:

I. Tenentur sequi opiniones medicorum securas et tutas, saltem ordinarie, quia periculum aegroti ex probabilitate removeri non potest.

II. Quando certum est, aliquod pharmacum infirmis profuturum esse, tenentur illud adhibere, omisso dubio; si autem certum desit, probabilius praeferre debent.

III. Quando nulla apparet spes de sanitate infirmi, nec adest remedium nisi dubium, seu de quo dubitatur an profuturum vel nociturum sit, illud adhibendum videtur (2). — S. Lig. n. 291.

Hinc peccat graviter medicus, 1^o si absque sufficienti capacitate gravem morbum curare aggrediatur. 2^o Si incurrente gravi et insolito morbo, specialem operam non impendat. 3^o Si medicamenta inexplorata, explorandi gratia adhibeat. 4^o Si non bene perspecta morbi natura, temere praescribat remedia periculosa, praesertim cum discrimine vitae vel gravis laesionis. 5^o Si agnito aegroti periculo, opportune non adsit, diu noctuque eum invisendo, si opus sit, et omnia media ad apte morbum propellendum non adhibeat. 6^o Si medicos alios advocari non permittat ubi oporteret, vel si alios consulendi causa convocans ad amicitiam potius quam ad peritiam attendat. 7^o Si e contrario sine necessitate alios medicos advocet cum expensis inutilibus aegroti, aut si contra suam conscientiam eorum consiliis adhaereat. 8^o Si curationem protrahat lucri causa, visitationes inutiliter multiplicet, ubi pro singulis salarium exigitur; vel si pretium nimium exigat. 9^o Si ad favendum pharmacopolis amicis, pharmaca superflua praescribat. 10^o Si abortum, aut media illum

(1) Idem dicitur, si stipendium a Communitate recipiant; licet non quaelibet munerum receptio ob hoc eis interdicitur. Cavendum tamen, ne in hoc ita se gerant, ut iam vulgo constet, ex munerum largi-

tione pendere eam in medendo diligentiam, quae alioquin ratione stipendii adhibenda erga infirmos est.

(2) Quo sensu admitti hoc possit, vide in not. seq. ad n. 984.

procurandi, suadeat aut ipsemet exequatur. 11^o Tandem graviter, imo gravissime peccat medicus, si non praemoneat de gravi periculo aegri ut ipsi Sacramenta conferantur. — S. Lig. n. 291.; et lib. 3. n. 182.

982. — Pharmacopolae, si pauca excipias, peccant fere ut medici in casibus modo expositis, praesertim vero pharmaca vetusta adhibendo, inutilia vendendo, puellis gravidis ad foetum eiiciendum media subministrando, mandata medici non fideliter exequendo, v. gr. unum medicamentum pro alio porrigendo, etc. — S. Lig. ibid.

983. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Ad quid specialiter teneatur medicus quoad animam aegrotantis, cuius curam suscepit?*

Resp. Tenetur *per se* sub gravi eum admonere de gravi periculo, in quo versetur, et de necessitate Sacramenta recipiendi, ne decedat absque absolutione, Viatico et Extrema Unctione. Constat 1^o ex lege naturali, seu ex praecepto charitatis. Constat 2^o ex *Decretali* notissima Innocentii III, confirmata et renovata ab aliis subsequentibus SS. Pontificibus. Constat 3^o ex *Concilio generali Later.* ann. 1245 (cap. *Cum infirmitas* (3), 13. *de Poenit. et Remiss.*). — Non tamen semper est necessarium, ut medicus *per se* moneat aegrum de proximo mortis periculo. Sufficit interdum, ut curet, eum admoneri a propinquis vel amicis, ita ut benevole Sacerdotem admittat atque ad recipienda Sacramenta inducatur. Si aeger notum habeat Confessarium, satis erit, si iste de statu poenitentis sui moneatur; tunc enim eum invisendo efficacius ipsum movere poterit ad salutem animae suae providendum. Caveat autem medicus, ne diutius monitionem differri patiatur. Non enim protrahere debet, usquedum certum sit mortis periculum; sed ad hoc officium tenetur, quando advertit periculum graviter imminere. Si hunc morem servarent medici, non adeo aegroti admonitionem reformidarent, nec ad confessionis mentionem terrore corriperentur.

984. — **QUAER.** 2^o *An peccet graviter medicus, qui tempore pestis aegrotos deserit, ne luem contrahat?*

Resp. Affirm. per se, nisi sint alii medici, qui opem sint aegrotis

(3) Caput *Cum infirmitas*, reipsa nihil est aliud, quam *Decretalis* illa notissima Innocentii III ab Auctore paulo ante allegata, quaeque XXII locum obtinet inter Decreta Concilii Gen. Lateranensis IV, cum titulo: *Quod infirmi prius provideant animae quam corpori*. Sapientissime autem Patres Lateranenses advertunt, hoc decretum etiam ad vitandum corporalis salutis periculum prodesse. *Hoc quidem* (inquiunt) *inter alia huic cau-*

sam dedit edicto, quod quidam in aegritudinis lecto iacentes, cum eis a medicis suaderetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt. Contra, ut cum Io. Andrea advertit Sylvester (*Sum. V. Medicus* 3.), *ex quo infirmi sciant, hoc medicos dicere in omni infirmitate, mortali et non mortali, ex praecepto cessabit timor et periculum.*

praestituri. Ratio est, quia medici ex officio ad bonum commune societatis constituuntur: unde in communi periculo non sibi, sed societati consulere debent; privatum enim incommodum publico bono cedere debet (4). — *Ita omnes Theologi.*

QUAER. 3^o *An medicus remedia dubiae efficaciae applicare possit, ubi de infirmo desperatur?*

Resp. 1^o Adhibendum est remedium probabiliter profuturum, si aliud certius non habeatur. Ratio est, quia meliori modo, quo fieri potest, infirmo providendum est; tunc vero absque ullo damni periculo ipsi succurritur.

Resp. 2^o Non potest applicari infirmo, etiam desperato, remedium de quo simpliciter dubitatur utrum sit salutare, an vero noxium, idque ad experimentum pro aliis infirmis faciendum. Ratio est, quia omnino illicitum est experimentum cum alienae vitae discrimine quaerere.

Resp. 3^o Si remedium sit certo non nociturum, et dubie profuturum, omnino est applicandum. Ratio patet: spes enim aliqua affulget infirmum a morte eripiendi, nec ullum imminet periculum.

Resp. 4^o In mero dubio, num remedium sit profuturum, an nociturum, extra casum aegri desperati (5), non est praebendum, sed expectandum ut natura, Deo auxiliante, seipsam sublevet. — Ita S. Antoninus, cuius haec sunt verba, p. 3. tit. 7. c. 2. *Si dubitat (medicus) de medicina, an debeat obesse aut prodesse, male facit dando, quia in dubio potius debet dimittere infirmum in manu Creatoris.*

(4) Fac distingas inter medicos, qui ratione stipendii a Communitate illis constituti tenentur ex iustitia, et medicos, quibus nullum a Communitate certum stipendium tribuitur; hi enim ex sola charitate tenentur, quae sane cum gravi vitae discrimine non obligat.

(5) Auctor hoc loco videtur excipere casum desperatae salutis, cum tamen in praec. Resp. 2^o neget, infirmo etiam desperato licite applicari remedium, de quo simpliciter dubitatur, utrum sit salutare, an noxium. Verum evanescet apprensus haec antilogia, si Responsum secundum intelligas de dubio negativo, adeo ut illud, dubitatur, idem valeat, ac ignoratur, uti clarius ita habet S. Alphonsus (lib. 1. n. 46.): *Certum est 2^o non licere applicare infirmo etiam despe-*

rato remedium, de quo ignoratur, an sit salutare vel noxium, ad experimentum faciendum super infirmo. Postremum vero responsum intelligetur de remedio, quod posse prodesse infirmo ratio aliqua suadeat. De quo tamen casu S. Alphonsus duplicem sententiam ponit, alteram negantem, hoc remedium esse licitum, alteram vero affirmantem; de qua idem S. Alphonsus ita iudicat: *Secunda tamen sententia, quae satis probabilis est, et forte probabilior, ... affirmat esse licitum; quia cum de infirmo desperatur, conformius est prudentiae et voluntati infirmi (praesertim si ipse expresse in hoc consentiat) applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis.*

CAPUT VIII.

DE OBLIGATIONIBUS CUSTODUM

985. — Custodes ii sunt, qui custodiae silvarum, agrorum, etc. a Principe vel a communitate, vel a domino privato praeficiuntur. Praeter peccatum, quod negligenter custodiendo committunt contra iuramentum (6), peccant contra iustitiam commutativam erga damnificatos; et in damnificantium defectum tenentur de damnis culpabiliter non impenitentis praesertim in sequentibus casibus.

1^o Si delinquentes in materia gravi non deferant intra tempus determinatum. *Probabilius* tamen tenentur tantum ratione damni, non vero multae. 2^o Si dilationem debite factam postea coram iudice non sustineant; si munera accipiant ad non deferendum. 3^o Si innocentes deferant ex odio, vindicta, etc., aut si denuntient pro damnificatione mere casuali. — S. Lig. n. 237.; et *Hom. apost.* n. 73.

986. — *QUAER. An custodes semper teneantur delinquentes denuntiare?*

Resp. Tenentur denuntiare, quoties damnum notabile est, nisi delinquentes sponte se offerant ad illud secreto compensandum. Possunt autem aliquando mitius agere cum damnificatoribus, si damna, v. gr. sint minoris momenti, nec sint saepius repetita; si prudenter praesumi possit, nolle dominum, ut delinquens deferatur; si delinquens sit valde pauper, nec solitus sit delinquere, etc.; sed caveant sedulo custodes, ne in his plus aequo indulgeant.

CAPUT IX.

DE STATU ARTIFICUM ET OPIFICUM

987. — Artifices et opifices sedulo a Confessario examinandi sunt: plerumque enim tacent in confessione iniustitias et peccata suae conditionis propria.

I. In genere iniusti sunt opera sua vendendo, aut locando iniusto

(6) Supponitur nimirum, iuramentum ab istis exigi; quod tamen facile patet, imprudentissimum esse, et unice ad conscientias etiam timoratorum implicandas et illaqueandas idoneum. Quippe vel pauca illa, quae A. subiicit, ostendunt, permultas, easque ad solvendum non faciles quaestiones in hac materia occurrere; itemque nemo ignorat, haud faciles esse ad solven-

dum quaestiones de iuramenti obligatione, quando scilicet et qualis adsit pro casuum diversitate; aliunde vero hic agitur cum hominibus ingenio ac doctrina rudibus, qui vix clarioribus et crassioribus pervidendis habiles reperiuntur. Quid igitur ab eiusmodi iuramentis expectandum, nisi difficultatum insolubilium congeries?

pretio; occultos operum defectus non manifestando iuxta dicta de venditione; negligentia culpabili tempus terendo; alios operarios a labore avertendo; opus male exequendo sive nimia praecipitatione sive rerum necessariorum omissione, etc.

II. In particulari autem praecipue iniusti sunt.

1^o Aurifabri et argentarii, qui aurum et argentum adulterant, inter vacua plumbum infundunt, adamantes aut infra iustum etiam infimum valorem ab ignorantibus emunt aut confictos seu artefactos quasi naturales vendunt.

2^o Pannifices et lanifices, qui lanam minoris pretii bonae immiscent, tantique divendunt, quanti si tota materia foret eiusdem qualitatis; qui initium et finem voluminis panni ex lana multo meliori texunt; qui fucatis coloribus utuntur; qui decepti pannos emendo, alios pariter vendendo decipiunt.

3^o Molitores, qui grana immutant, aut eis res extraneas nullius fere valoris immiscent, uti fabas, ad augendum pondus et massam; qui pro salario detinent aliquid de frumento vel farina ultra praxim timoratorum.

4^o Pistorum, qui male coquunt; qui farinae triticeae aliam ex siligine, hordeo, fabis, etc. malitiose immiscent; qui pondus fraudulenter imminuunt.

5^o Laniones, qui corruptas carnes vendunt, aut deteriorem qualitatem pro meliori tradunt.

6^o Sartores et sutores, qui male secant; qui panno aut corio corrupto vel adusto utuntur; qui partem panni sibi traditi retinent, fingendo se totum in opere conficiendo adhibuisse.

7^o Opifices petasorum, qui petasos rursus stipatos aut tinctos pro novis, aut quasi a longiori tempore in officina exstantes vendunt.

8^o Typographi, qui exemplaria excudunt in maiori numero quam conventum est, et sibi ea retinent; qui adulterinas editiones contra ius habentis privilegium faciunt (1); qui emendatores habent imperitos, qui papyrum non adhibent eiusdem qualitatis ac in programme promiserunt, etc... — Vide S. Lig. n. 292.

(1) Inspiciendum tamen, an leges, eiusmodi privilegium concedentes, haberi queant, nec ne, uti mere poenales, sive adul-

terinae sive non adulterinae sint editiones, quas alii contra privilegium moliantur.

PARS SECUNDA

DE STATU CLERICORUM

Agendum 1^o de obligationibus communibus Clericorum; 2^o de quorundam obligationibus peculiaribus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS COMMUNIBUS CLERICORUM TUM POSITIVIS TUM NEGATIVIS

ARTICULUS I. — DE OBLIGATIONIBUS POSITIVIS CLERICORUM.

Clerici praecipue obligantur: 1^o ad vitae sanctitatem; 2^o ad caelibatum; 3^o ad habitum ecclesiasticum et tonsuram; 4^o ad Horas canonicas.

§. I. De vitae sanctitate.

988. — Quanta debeat esse Clericorum interna sanctitas et exterior aedificatio, nec demonstratione, nec expositione indiget. Id enim manifeste arguit ipsa sola Clericatus et Sacerdotii idea. Perpaucis igitur declarabimus Clericos pios, sanctos et modestos esse debere, tum ex eorum status natura, tum ex Scriptura, Patribus et Conciliis.

1^o *Ex natura status clericalis.* Sanctissimum est Clericorum ministerium, cum semper ad res sacras, ad Sacramenta fidelibus conferenda, ad laudes divinas solemniter nomine Ecclesiae persolvendas ad Christianum populum de via salutis aeternae edocendum, necnon ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum proxime vel saltem remote applicentur. Cur enim sunt Clerici et Sacerdotes in Ecclesia constituti? Ut sint, teste Evangelio, sal terrae et lux mundi. Porro tales non possunt esse, nisi insigni et praeclara morum sanctitate praefulgeant. Non solum adimplendorum officiorum sublimitas, et excellentia, sed etiam vestes, quibus induitur Clericus; clamant ipsum sanctitatem profiteri debere. Hinc ait S. Hieronymus, *Epistola 58.*: *Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem.*

2^o *Ex Scriptura.* Sic de Sacerdotibus antiquae legis aiebat Dominus, *Levit. 21. 6.*: *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius, incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.* Item apud *Isa. 52. 12.* dicitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Porro si tantae vitae sanctitas requirebatur in Sacerdotibus, qui boves, et oves, aliaque animalia Deo offerebant, quid requirendum erit in iis, qui ipsum divinum Agnum sacrificant? Et si tanta mundities require-